



**Robert Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

17. Ante disput. Philosoph. Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](#)

ROBERTI TURNERI  
 ORATIVNCVLA XVII. QVAM ROMA  
 pro consuetudine loci habuit ante disputatio-  
 nem philosophicam quidam Roma-  
 nus cui nomen erat  
 Annibali.

Philoso-  
 phiæ pa-  
 læstra  
 difficult-  
 atibus  
 inter-  
 septa.

Anniba-  
 lis cuius-  
 dam he-  
 reicuſ  
 animus.

**E**T si hæc præclara sanè ac glorioſa Philosophia  
 paleſtra ijs fuerit inter ſepta difficultatibus, vt no-  
 soleat teri ab indoctis, nec debeat à minutis : it  
 eam tamen, Auditores, ego hodiè & indoctus audeo  
 & minutus volo descendere non tam ſpereuerenda  
 laureæ, quām imitatione eius, qui totum orbem ſe  
 nominis gloria impleuit, Annibalis. Atque vt ego fa-  
 cilè ſoleam contemnere Aegyptiorum ſuperſticio-  
 nem penentium in occultis vocum recessibus diui-  
 tatem nescio quam, perperuo tamen rei yſu fit, vt cu-  
 dam latentiorem quandam vim in ipſo Annibali  
 nomine impressam eſſe, ac penitus inſculptam, qua in-  
 citentur homines ad magna ſi non feliciter per-  
 ciunda, certè audacter aggredienda : quippe vt te-  
 ceam Annibales duos, duas prouincias maximas mi-  
 nimis viribus fuisse aggressos, Siciliam illum Rhod-  
 dium Hispaniam hunc Lilybæum, Carthaginela  
 noſter Annibal tam ingentium fuit ſpirituum, vt no-  
 Galliæ iuuentus, tam flos, decepta, nec Sagunti de-  
 uiicti præclara illa laurea reportata, nec Hispaniæ  
 attrita, nec Marcelli ſuperbia penitus compreſſa eſſe  
 cerint ; quò minus ipſe ſibi angusti ac muniti animi  
 videretur, ſi non tentasset & Scipionis prudentiam  
 ſuo conſilio, & Alpium altitudinem ſuo ingenio, &  
 Romæ magnificentiam ſuo astu, & Italiam neruum ſuo  
 lacc.

lacerto: alias prouincias, vel continendas vel compri-  
 mendas alijs permittebat; solas alpes, solum Scipio-  
 nem, solam Italiam solus aggredi audebat Annibal.  
 Habent, Auditores, habent Annibales siue vi propria  
 nominis, siue occulta alia ratione id sibi inditum, vi-  
 tribus non magnis audere magna, vt si hæc hodiè Phi-  
 losophica velitatio videatur hanc mearum virium te-  
 nacitatem superare, illam quidem aggredi, sic Anniba-  
 lis; non sustinere hominis: neque sanè si Romani sitis  
 vt natura, sic iudicio, minorem ponetis laudem in re  
 magna fortiter aggredienda, quam fœliciter perficienda,  
 cum Roma antiqua Annibal, quo nihil unquam  
 senserat infestius, vires etsi contempserit in  
 magnis perficiundis, amavit tamen generositatem  
 illam, quia cum possit pauca, vellet magno animo au-  
 dere magna: audeo ergo hodiè descendere in istam  
 palæstram; non quod putem, me posse disputantium  
 neruos ac lacertos sustinere, sed quod alter Annibal  
 arbitrer gloriosius vinci à Scipione, quam domi deli-  
 cijs ac venustatis turpiter affluentem nihil moliri  
 magni. Quanquam id mihi in hoc discrimine facit  
 animos, quod sperem me post multos annos alterum  
 Annibalem in hoc conatu fore fœliciorem quam il-  
 lum Carthaginensem, cum hic infesto animo ac odio  
 penè haust q cum matris lacte, Romanorum rem peni-  
 tus vellet euertere; ego animo benè fauente, amoreq;  
 sanè insito, Romanis studeam victoriæ laudisque sub-  
 ministrare copiosam segetem & materiem, quare ini-  
 turus sum iam pugnam in qua si supra vires audeam,  
 est hoc proprium Annibal, si forte vincar, erit  
 id quoque gloriosum, à Romanis,

*Dixi.*

ROBER,